

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Samuelis De Cocceji, Henr. Fil. Sacræ Regiae Majestatis
Borussicæ Magni Cancellarii, A Consiliis Sanctioribus
Status Et Rei Bellicæ, Ordinis Nigræ Aquilæ Equitis Etc.
Jus Civile Controversum Ubi ...**

Opus Ad Illustrationem Compendii Lauterbachiani ...

Cocceji, Samuel von

Lipsiae, 1766

LIB. XLVIII. TIT. XXIV. De Cadaveribus Punitorum.

urn:nbn:de:gbv:45:1-9050

gio jus exclusiendi reum ex statuto quæsum est, quod Princeps revocare non potest, arg. d. L. 13. §. 1. Hoc vero casu, si reus negat delictum & processus intentatur, reus non est infamis ante sententiam, nec jus quæsum est collegio. Si ergo Princeps abolendo crimen impedire sententiam, hoc ipso impedit quoque infamia notam, proinde reus omnia jura retinebit, ac si nunquam crimen commisisset. Atque ita in contradictorio res decisa est in causa W. contra die Schmiede Gilde, sed & rescripto rem ita Augustissimus Rex decidit in Causa P. contra C. SS. B. & M.

LIB. XLVIII. TIT. XXIV.
DE CADAVERIBUS PUNI-
TORUM.

Qv. *An anatomia sit licita?*

AFFIRMATUR: idque propter utilitatem publicam, ut de causis mortuorum eo facilius constare possit.

OBJ. quod jus sepultura sit juris Naturalis, nec auferri possit.

RESP. Immo propter utilitatem publicam, v. g. in poenam crimini, sepultura alicui auferri potest.

Equidem in Belgio & alibi pauperum cadavera secari solent, sed cum id eorum, cum in vivis essent, consensu fiat, utilitas publica accedat, facaque dissectione sepeliantur, nihil injuria hic occurrit.

LIB. XLIX. TIT. I.
DE APPELLATIONIBUS.

Qv. I. *An unius appellatio proficit omnibus consortibus?*

Laut. pag. 730 verb. ita, ut u- **E**quidem regulariter appellatio unius aliis non prodest, tum ex regula generali, quod res inter alios acta, aliis nec noceat, nec proficit. **L. 2. C. Quib. res jud.** tum ex speciali textu in **L. 3. §. 3. h.** ubi appellatio tantum unius &c. illis condemnatis prodest, quorum nomina in libello sunt comprehensa.

Exc. (1) Si consortes sint: tunc enim, uno appellante, intra decendum, reliqui omnes, et si non appellarent, immo et si alter tantum pro se appellaret, tamen adhærere, & causam æque ac alter tractare possunt; quia in hujus beneficii terminis, prout eos autor recte ponit,

